



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopis, quòd se inuicem diligere debeant. cxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

bellantis aduersum te. Omnes ergo qui eis contraëunt, ita
damnatos & infames usque ad satisfactionem monstrau-
bat: & nisi conuerterentur, à liminibus Ecclesiae alienos
esse præcipiebat.

*Quod episcopi claves sunt Ecclesiae, & habeant potestatem
claudere cœlum, & aperire portas eius. Cap. CXXV.*

Sicut ergo Ecclesia immaculata omnes seruare de- *Ex eodē,*
bere euangelizabat, cuius claves episcopos esse dice- *cap. 37.*
bat. Ipsi enim habent potestatem claudere cœlum, & ape-
rire portas eius, quia claves cœli facti sunt. Amouere au-
tein eos neminem debere docebat quia oculi domini sunt,
& qui eos tangit, tangit pupillam oculi eius. Et quāta pœ-
na dignus sit, qui eos scandalizat, ipsum dominū docuisse
dicebat, ubi ait: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis,*
qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asina-
ria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Quod episcopos dominus ad glorificandum se elegerit.

*& quod omnes principes terrae eis obedire oporteat,
& capita sua submittere. Cap. CXXVI.*

Ad glorificandum se, & diuina mandata seminanda & *Ex eodē,*
euangelizanda episcopos dominus elegit, & non ut *cap. 29.*
prohibeantur, aut perturbentur aiebat: *Quoniam qui eos*
lædit, eum lædit, cuius legatione fungitur. Prædicare eos
assidue, & mandata domini sine intermissione annuncia-
re rogabat. Opera eorum bona coram hominibus monstrare,
& conscientiam bonam coram deo habere insinuabat.

De episcopis quod se in hinc diligere debet. Cap. CXXVII.

Episcopos ergo vicē apostolorū gerere dominū docu- *Ex eodē,*
isse dicebat, & reliquorū discipulorum vicem tenere *cap. 30.*
presbyteros debere insinuabat: & si quis aliquem ex his
scandalizaret, grauissimam sibi pœnā inferri debere præ-
dicabat. Cūctos se intūcem diligere, & adiuuare debere,
& neminem ab adiutorio fratrii se subtrahere instruebat.

Vt episcopus episcopum aliū non conculcet. Cap. CXXVIII. Ex cōcil.

Vt nullus Episcopus alium episcoporum conculcet, *Arala-*
eumque calumniari vel iniuriari præsumat. Quod si tensi, cap.
fecerit, gradus sui periculo subiacebit. 13.